

Q. D. B. V.

AD

**SCHOLAS
MATHEMATICAS,
DOMI FORISQVE**

APERIENDAS,

**LITERATOS ACADEMIAE CIVES,
EOSDEMQUE UTILISSIMARVM DOCTRINA-**

RVM STVDIOSOS,

**D. VII IAN. IN AVDITORIO MINORI,
DISSERENDI PVBLICE INITIVM
FACTVRVS,**

PEROFFICIOSE INVITAT

**ERNESTVS CHRISTIANVS
SCHROEDTERVS,**

**MATHEM. PROF. PVBL. EXTRAORD. ET
COLLEG. PHILOS. ASSESSOR.**

VVITTENBERGAE A.R.S. c15 15 CCIX.

PRELO CHRISTIANI SCHROEDTERI, ACAD. TYP.

15
S A G I O L A S
M A T H E M A T I C A S
D O M I E R R I S G A E
A P H E R I S I N D A S
L I T T E R A T O R S A Q U D E M I A R G I A E
H O M E R U S , A U T U S M U M D O C T O R I S
R U M S T A B I O C O S
E A U T I M N I V A D I T O R I O M I N O T
I S E R I U S F U R I U S I N I T I U M
H O C I A S
F E R O F I G O R A M I L T A T
E R N E S T A B C H R I S T I A N A S
S O H R O E D T E R R A S
M A T H E R P R O F . 1747 E X T R A O D E
C O F F I C I U M I U S A S I S S O R
A V I L T E M P R I C A S T R & C O P P C O L Y
T E S S O C H R I S T I A N U S C O H R O E D T E R R A S
A C E R I T A T



Alli eum turpiter, qvi, neglecta
mathesi, aliquod in philosophis
nomen habere velit, non magis
una omnium eruditorum vox est,
qvam ipse rerum usus confirmat.
Ecqvo enim ore qvisqvam, in tam
nobili philosophiae parte hospes plane ac pere-
grinus, illud sibi vindicare posset? Antiquorum
sane philosophorum omnium, nominatim Pla-
tonis et Aristotelis, monumenta, eorumqve in-
terpretum commentationes doctrinis mathema-
ticis refertissimas, eamqve ob causam ab illorum
intelligentia, qvi artis mathematicae rudes sunt,
longissime remotas esse, pro comperto habetur.
Enimvero non in philosophos solum, sed rerum
qvoqve divinarum, ac iuris, facultatis item salu-
taris studiosos, imo in omnis generis artifices,
multum commodi inde redundat, ac nihil faci-
le in omni vita est utilitatis eius expers. Cum
vero mathesis generatim et universē frugifera et
fructuosa est, tum sigillatim ALGEBRA, ars illa
ignotum qvodvis ingeniose inveniendi, verita-
tem abstrusiorum qvaestionum recte investigan-

A 2 di,

di, ἡγεῖμα subtilissima facile explicandi, ac
περιλήπται difficillima docte enodandi ac de-
monstrandi: de cuius nomine, antiquitate, ac
multiplici usū aliquid hic admonere animum in-
duxī. Sunt, qvi partim ab Hebraeo קָרְבָּן vocabu-
li originem ducunt, partim Arabi cuidam phi-
losopho, Gebro, ferunt acceptam, sed utriqve fal-
so. Liqvidius VVallisius pariter ac Renaldinus il-
lud ex Arabum lingva repetunt, docentes, ab جَرْبَنْ,
al-gjabr, id est, restauratione, oriri. Idcirco Arabi-
bus Al-gjábr VV al-mukabula idem est, ac ars
restitutionis et comparationis, seu resolutio-
nis et aeqvationis. Ab Italica Cossica, vel propria
gentis locutione, regula de la Costa, nuncupatur.
Vnde vero id nominis invenerit, satis adhuc inter
eruditos non constat. Qvodsi coniecturae pro-
babili locus est, videtur potius ipsius ratio in
Italorum vocabulo Cosa, id est, re, sive radice,
quaerenda, propterea qvod Algebra, loco ignoti,
rem talem, seu literam, assumit, et, vetere instituto,
computandi initium ab hoc signo vducit, qvod
apud Italos Cosam, radicem adhuc involutam,
significat. Prisci Graeci Analyseos nomen illi
imposuerunt, qvod adeo recentioribus probatum
fuit mathematicis, ut idem retinerent, attemque

A
Ana-

Analyticam cum Francisco Vieta appellarent a
τῷ ἀναλύειν, id est, impedita omnis generis theo-
remata suis difficultatibus exsolvendi et illu-
strandi. De honorificis eius cognominibus non
est, quod adiiciatur, cum tot ac tanta sint, ut cun-
etas aliarum disciplinarum laudes longissime su-
perent, ac illa ubique obtineant principatum. Iam
antiqvitatem paulisper investigare libet, atque di-
spicere, utrum superiori demum tempore inven-
ta, an mathematicis antiqvioribus cognita iam
fuerit et exculta? Eqvidem non diffiteor, esse,
qvibus Algebra recentioris institutum aetatis, id-
que modo a Germanis, modo a Gallis, modo ab
Anglis, modo ab Italib, modo ab Hispanis, et ne-
scio qvibus Europae gentibus, non ita pridem o-
riundum, autoresqve nominatim eius Lucas Pa-
ciolus, Francisc. Vieta, Gvil. Oughtredus, Thom.
Harriotus, Renat. Cartesius, Frid. Schootenius, Io.
VVallifius, Carol. Renaldinus, ac complures, vi-
dentur. Alii tamen altius originem repetunt, et a
Mauris, Saracenis, Arabibus, Persis, Indis arcessunt.
Denique, ut multa paucis comprehendamus, vul-
go Graecis tribuitur, in iisqve Diophanto Ale-
xandrino, qui altero post natum Christum seculo
floruit, et ipse met hoc invento, non secus ac suo,

in praefatione gloriatur. Sed enim vero falso id de-
se praedicat, ac praeter temporum rationem, qviper-
pe cum iam tum Archimedi, Eucli, Aristoteli,
imo Platoni ac Pythagorae, de Algebra satis con-
stiterit, nec inusitata haec fuerit. Qvamvis demus
oporteat, si et docendae illius, et literarum monu-
mentis consignandae studium spectemus, illum
his anteferendum, qvit tantum scire artem satis ha-
buerunt, eiusqve notitiae in scriptis suis passim ve-
stigia reliquerunt haud obscura, adeo, ut Theo-
vetus Scholia stes, Platoni Analyseos inventum, te-
ste VVallisio, diserte vindicet. Qvam ob rem
non spernendum est Cl. Sturmii, in mathesi iuveni-
li, iudicium, artis huius cognitione Platonem iam,
aliasqve Graecos imbutos, eam vero ipsam a Di-
ophanto Alexandrino deinde in ordinem reda-
ctam, et ab Indis ad Arabes translatam, ab his
porro alia via excultam, et ad Mauros, inde in
Hispaniam, ab Hispanis in Angliam, reliquasqve
Europae nationes, propagatam. Non alienum
ab hoc loco videtur, qvaerere, qvid causae sit,
qvare prisci sapientiae doctores de hac Analysis,
qvae ipsos neqvaquam fugit, et ad invenien-
da perinde ac explicanda theorematum valuit,
nihil scriptum reliquerint, qvin imo data o-
pera

pera tacuerint, atque de involvenda magis, quam
evolvenda laborarint, eamque non nisi cum paucis
communicarint? Sed non temere credideris, illud
vel invidia factum, vel, quod magis probabile, ma-
giorem conciliandi inventis admirationem, vel
posteritatis industriam acuendi, ac ad rimandum
suo quemque ingenio impellendi, vel, Cl. VVe-
gelio opinante, loco mysterii habendi causa, non
pro vulgari aliqua arte. Recentiore memoria
in lucem protulerunt Algebraam, studiisque suis
illustrarunt, et mirifice perfecerunt praestantissimi
qui que mathematici. Qvis vero primo lo-
co numerandus sit, inter eruditos non convenit.
VVallisius Lucae Paciolo primas desert, Vossius
contra Leonardo Pisano, a quo sua magnam par-
tem habet in Arithmeticis editis Paciolus, prin-
cipatum tribuit. Seculo duodecimo Franciscus
Caligarius, ut apud eundem Vossium est, lingua
vernacula de arte hac praecepit. Hunc secutus
Michael Stifelius pari modo latine teutonice-
que explicandam sibi summis. Ut reliquos silen-
tio praeterem, quos saepe laudatus VVallisius,
libro histor. et pract. de Algebra, percenset. E-
nimvero scientia illa, per integri spatium seculi,
rudior fuit, satisque tenuis, usque dum Franciscus

Vieta.

P. 545

Vieta Arithmeticam suam, ut vocat, speciosam
emitteret, usumque eius commendaret plane sin-
gularem, non ignotae solum, sed datis quoque
in quaestione quantitatibus, sua imponendo no-
mina, sive literas, quas species appellat, quaeque
commodiorem computandi viam rationemque
monstrant. Huius vestigiis instituit Thom. Har-
riottus, Gvil. Oughtredus, et Cartesius, cuius in-
primis opera tantos fecit progressus nobilis ars,
quanti nunquam fuerint. Huic praeterea Florim.
Beaunius, Franc. Schootenius, Io. Huddenius, Eric.
Bartholinus, Ehrenfr. VValth. Tschirnhaufenius,
Godofr. Gvil. Leibnizius, Io. Christ. Sturmius,
Erhard. VVeigelius, reliqui, summam navarunt
operam, et ornamenta perinde atque adiumenta
afferendo, magnas huic accessiones fecerunt. Al-
gebrae vero mirificam ac multiplicem utilitatem
ecquis ignorat, nisi eius imperitissimus, quippe
qua tam late patet, ut non immerito subtilissimus
Cardanus coeleste donum, et Cl. Renaldinus cla-
vem vocarint, quod ditissimus universae matheseos
thesaurus aperiri possit. Ne hi, aliquique, amori quo di-
vinam prosequuntur scientiam, aliquid dedisse, aut
eius studio nimium elati, magnificenter locuti
videantur, rem ipsam proprius liceat intueri. Inde
liqido

liqido patet, illam huiusmodi esse, ut omnia inco-
gnita, quae ex veris primisqve, nondum perceptis,
aut prorsus investigari ac demonstrari nequeunt,
aut longe molestissimo labore inquiruntur, ex co-
gnitis datisqve qvibusdam, aeqvationis beneficio,
facili negotio inveniantur, illustrentur, et ante oculos
ponantur. Huius usus uti per omnem philosophiam,
cum contemplantem, tum agentem, se dif-
fundit, ita potissimum in universa mathesi, pura-
non magis, qvam impura cernitur, cum magni-
tudinum, qvantitatum, ac motuum rationes ac
determinationes perspiciendi planam et compen-
diariam viam tradit. Ceteris omissis, in Arith-
metica et Geometria, exempli causa, paulisper
commorabor. Qvarum utraqve hoc tem-
pore tam emendata, amplificata, et perfecta est,
ut nihil supra possit. Illa qvippe vulgaris diffi-
cilorum problematum multitudine laborabat,
qvae solvere ac expedire conantibus aut ingens
negotium facessabant, aut prorsus repugnabant,
ac spem satisfaciendi adimebant omnem. Ad
hoc aenigmatibus plena erat, qvae si secundum
nota proportionum praecepta exponerentur,
gravissimis implicabantur difficultatibus. Tum
numeris, qui vocantur, infinitis, irrationalibus,

B

sur-

furdis atque ineffabilibus, qui colligi ac inter se
conferri nullo pacto poterant, abundabat. Ut
alia taceam in argumento de extractione radi-
cum, sicuti quadratici, cubici, atque magis com-
positi occurunt, quorum radices in solis nume-
ris frustra quaerentur, licet immensam inquiren-
di diligentiam adhibeas. At enim vero Alge-
bra nunc plana reddit, et, vel exigui laboris cal-
culo, perspicua, ac tanquam obvia, quae nulla in-
genii vis conseqvi unquam posse videbatur. Ni-
mirum quaestiones obscurissimas, neglecta illa
vulgari proportionum via, explicat: numeros,
quos paulo ante tetigi, veluti clausos, facillimo ne-
gotio recludit, habilesque ac graviori huic com-
putandi instituto aptos facit, et inter se compo-
nit: non minus radices, vel in quadraticis, cubi-
cis, aliisque, promte invenit, accuratissimeque de-
monstrat. Geometriam porro si spectes, dici
non potest, quantum haec illi debeat, utpote quae
tanta ipsi attulit adiumenta, tanta ornamenta,
tantaque lucem, ut nova plane, et ab autore
Cartesiana, copta fuerit appellari. Cartesii pro-
fecto opera magni hic aestimanda est, cuius libro,
quo Geometriam Gallice tradidit, nihil praeclarus,
post hominum memoriam, scriptum est. Quan-
doqui-

doqvidem qvod matheseos purae caput est , nec ab Euclide, nec Apollonio, et aliis,satis explanatum,id mathematicorum ille facile princeps tanta felicitate, tamqve divina ingenii facultate,expedivit,ut exspectationem longissime superaret , unica videlicet problematis enodatione omnia simul alia eiusdem , de qvinqve, sex, decem, vel pluribus lineis, in infinitum exempla complectens, ac locorum qvorumcunqve, tam planorum, qvam solidorum, inventionem ostendens, rationemqve suppeditans. de qva perqvam honorifice Schootenius sentit, arbitratus, nihil tota mathesistam arduum contineri, qvod non Geometriae huius legibus subiici ac declarari possit. Vietae igitur Analyti ex Geometria Cartesii multum splendoris,aeqve ac perfectionis accessit. Haec postea studiis saepius laudati Frid.Schootenii, Florim.Beaunii, Io. VVittenii, Io. Huddenii, Erici Bartholini, Ioan.VVallisii, Carol. Renaldini, aliorum, tam aucta fuit ac expolita, ut omnibus numeris partibusqve absoluta, et perfecta videatur. Hic tamen dissimulandum non est, tanto- rum virorum pleraque, vel ingeniosissime excogitata, autorem Cartelium habere, adeoqve perfectius quid frustra expectari. Sed ad Algebraam redeo,qvae qvid vel in Geometriae definitionibus et principiis veterum emendandis et explicandis, vel in problematibus ob- scurioribus, qvae sine hoc involuta perpetuo latent, evolvendis, valeat, sigillatim nunc docendum foret, ni alibi commodior talia edifferendi occasio se offerret.

Con-

Contigit enim nuper immortalis DEI providentia,
ut Serenissimus Potentissimusqve Dominus, Dominus
FRIDERICVS AVGVSTVS, Rex ac Princeps Elector
Saxonie, reliqua, Dominus ac Nutritius meus longe
Clementissimus, singulari plane regiae indulgentiae
argumento, muneri matheſeos publice docendae, ex-
tra ordinem, me praeſſe voluerit iuſteritqve. Iam-
tum ſtatim feciſſem, qvod officii ratio poſtulat, ſed
partim moleſti Decurionis Collegii Sapientiſſimi ne-
gotiis diſtentiſſimus, partim ſcholis philoſophicis, qvae,
dupliſato horarum numero, ad finem priu perdu-
cendae erant, obrutus, aliqvantulum diſferre malui,
qvm animum in plura ſimul ſtudia diſtrahere.
Nunc vero occupationibus hiſ ſolutus ac liber, mo-
ram qvantulam cunqve diligentia compensaturus,
re-
nos, ornatissimi Cives, amplius ignorare nolo, re-
citationes mathematicas cras, h. II pomerid. in audi-
torio minori, bene adiuvante Deo, me inchoaturum
eſſe, idqve ſedulo daturum operam, ut, qvae olim Cl.
noſtrium doctorum, VVernheri, Strauchii, Knorrji,
percepi preecepta, ac ipſem, uſu et tractatione erudit
pulveris, ſubinde in ſcholis meis conſirmavi et auxi, vo-
bis bona fide impertiar. Agite igitur, ac mecum in no-
bilissimam Algebrae disciplinam toto pectore incum-
bit, perſuadumqve habete, ſic planiſſimam ad reliquas
matheſeos partes viam munitum iri, qva eas, ſine caſu
et prolapsione, fideliſſimo me comite, diſcendo per-
agrare iusto ordine licebit. P.P. Ipſo EPI-
PHANIORVM ſacro.

ULB Halle
005 361 788

3





L. D. B. V.
AD
**SCHOLAS
MATHEMATICAS,
DOMI FORISQVE
APERIENDAS,
LITERATOS ACADEMIAE CIVES,
EOSDEM Q. UTILISSIMARVM DOCTRINA-
RVM STVDIOSOS,
D. VII IAN. IN AVDITORIO MINORI,
DISSERENDI PVBLICE INITIVM
FACTVRVS,
PER OFFICIOSE INVITAT
**ERNESTVS CHRISTIANVS
SCHROEDTER VS,
MATHEM. PROF. PVBL. EXTRAORD. ET
COLLEG. PHILOS. ASSESSOR.****

VVITTENBERGAE A.R.S. clo 15 CC IX.
PRELO CHRISTIANI SCHROEDTERI, ACAD. TYP.